

Hi videntur *mundum* & corpora huiusmodi posse *representare*. Sed quomodo hæc *simplicia* possint esse *principia extensionis*, aut omnium mundi corporum, intelligi non potest: quin & plane impossibile est, & repugnat.

XXVII. Sed quid tandem sunt *Leibniziana* hæc *simplicia*, quæ *mundum obscure representant*, quasi *spiritus*, ex quibus mundus dicitur compositus, licet *partes* non habeant, nec *magnitudinem*, nec *quicquam*, quod *materiæ conuenit*, & sint indiuisibilia. Quam habent essentiam & naturam? Nemo ea *simplicia* unquam intelligere, aut explicare, poterit. Sunt figmenta, quæ existentiam habere non possunt. Et si vel existere possent, ne utique ex illis *simplicibus*, quæ nec motum, nec *quicquam*, quod *materiæ conuenit*, habent, omnia mundi corpora componi possent. Ex *atomis*, licet minimis, quæ tamen habent *partes*, & aliquam *magnitudinem*, & *figuram*, posset oriri & componi vastissimus hic mundus. Ex *unitate*, si duplicetur, triplicetur, & sæpius multiplicetur, potest oriri *numerus*; quia *unitas* est *principium numeri*, & *numerus* est collectio duarum vel plurium *unitatum*, ita ut duæ pluresque *unitates* necessario *numerum* faciant: sed *simplicia*, quæ nec *partes*, nec aliquam *magnitudinem* habent, nec *figuram*, &c. ea ne utique *extensionem*, nec *corpora* huius mundi, nec *mundum corporeum* componere possunt. Adde, ex *simplicibus* sine *partibus*, sine *magnitudine* & *figura*, &c. nunquam *extensum*, magnum & quantum, constitueretur. Imo si *simplicia* sint sine *partibus*, sine *magnitudine* & *figura*, ne quidem vnum aliis addi, aut adiungi potest; ut enim vnum aliis adiungatur, debent latera & partes habere, ut semet contingant: sed ubi nec latera, nec partes sunt, ibi nec *contactus* esse potest. *Euclides* recte *Elementorum* Lib. 5. Def. 1. *partem* definit, quod sit *magnitudo magnitudinis*, minor maioris, quæ aliquoties repetita, metitur vel excedit suum totum. Sed ubi nulla est minor *magnitudo*, nec *pars*, ibi non potest additione fieri maior *magnitudo*. Concludo, *simplicia*, quæ *partes* non habent, nec *magnitudinem*, *principia extensionis* & corporum nullo modo esse posse.

XXVIII. Quasnam ergo habent *Leibniziani* rationes, ob quas statuunt imperceptibilia hæc *simplicia*? Quibus argumentis probant hæc corporum *principia*? Quænam experimenta has *Monades* euin-

euin-